

De potestate Reverendissim. D. vicecancellarii, et cancellarium regentis.

72. « Primo, quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in litteris apostolicis aliquid scriberent, corrigere, vel delerent.

« Item, quod possit corrigere nomina, et cognomina personarum, non tamen eorum, quibus gratiæ, et concessionis fiunt, ac beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

« Item, quod possit omnes causas beneficiales, etiam non devolutas committere in Curia, cum potestate citandi ad partes.

« Item, quod processus apostolica auctoritate decretos aggravare possit cum invocatione brachii sæcularis; et sententias executioni demandari facere contra intrusos, et intrudendos per litteras Apostolicas desuper conficiendas, et non alias.

« Item quod possit signare supplicationes manibus duorum referendariorum signatas, de beneficiis ecclesiasticis sæcularibus, et regularibus dispositioni Apost. generaliter non reservatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum turonen. parvorum, seu totidem in alia moneta communem æstimationem, valorem annum non excedet.

« Item quod possit signare supplicationes etiam duorum referendariorum manibus signatas de novis provisionibus, si neutri, et subrogationibus pro colligantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

« Item, quod possit ad ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus, usque ad proxima tunc a jure statuta tempora in quibus sic arctati successive ad ipsos ordines promoveantur. »

Placet, publicentur, describantur I. F.

« Lectæ, et publicatæ fuerunt suprascriptæ regulæ, ordinationes, et constitutiones in Cancellaria apostolica ab uno ex R. R. PP. DD. majoris præsentis abbreviatoribus anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo, die vero decima quarta mensis decembris pontificatus prælibati sanctiss. Domini Nostri CLEMENTIS XI anno primo

« Joseph Maria Minicotius procustos. »

§ XVII.

SOLVUNTUR VARIA DUBIA CIRCA REGULAS CANCELLARIÆ: UBI ET DE INTRUSIS IN BENEFICIO.

489. *Regularis cancellariæ, an, et qualiter in judicio sint producendæ?* — Quæritur I. An, et qualiter in judicio producendæ sint regulæ Cancellariæ? Resp. I. De hoc disponitur per proxime relatam regulam 28. « De regulis Cancellariæ producendis, » inscriptam. Quia enim juxta varietatem concurrentium causarum, et negotiorum, aliquoties immutari convenit regulas Cancellariæ: hinc super probando earum tenore jubet Pontifex, non esse standum dictis testium, utpote tenacem desuper memoriam plerumque non habentium: sed voluit, atque ordinavit, ut iudices in ipsa Curia auctoritate apostolica deputati, super hujusmodi tenore, et affectu probando duntaxat stent, fidemque adhibeant schedulæ, seu scripturæ, ad præviam indigentium supplicationem a duobus majoris præsentis dandæ, et a tergo signatæ, et etiam a duobus aliis litterarum apostolicarum abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatæ, et vicecancellarii manu subscriptæ. « Quidquid autem secus neri contigerit, nullius sit roboris, vel momenti, » inquit pontifex in citata regula 28. prout patebit eam legenti.

490. *Sententia lata regulis non productis subsistit, quando pars adversa non excepit contra hoc. Quando judex facit actum, qui potest esse præjudicialis parti, debet pars expresse contradicere: alias sibi præjudicat.* — Resp. II. His tamen non obstantibus, sententia lata regulis non productis in forma præscripta subsistit, quando pars adversa non excepit contra hoc. Ita Joan. a Chokier in reg. 26. (nunc 28.) Cancellariæ, quæ inscribitur, « De regulis Cancellariæ producendis: » n. 18. allegans plerosque omnes in dictam regulam scribentes; atque stylum Curie Romanæ, requirentem pro inducenda nullitate gestorum, quod excipiatur de regula non legitime producta. Accedit ratio: quia decretum illud irritans in fine citatæ regulæ appositum, habet tacitam conditionem; videlicet, si is, cujus favorem respicit, eadem uti voluerit, arg. l. et eleganter. § 1. juncta Glossa 7. Nullam. ff. de Dolo malo. Quoties enim autem judex facit actum, qui potest esse præjudicialis parti, debet pars expresse contradicere: alias sibi præjudicat, arg. l. I.

§ XVII. SOLVUNTUR VARIA DUBIA CIRCA REGULAS CANCELLARIÆ, ETC. 577

C. de Relationib. ac notat Bartolus, ibid. 7. *Ultimo notu.* Nam tacendo, juri suo tacite renunciat, atque in actum iudicis consentire videtur; ut cap. II. de *Accusationib.* in 6. ubi Glossa 7. *Reclamante*, istud ulterius probat ex reg. 43. jur. in 6. « Qui tacet consentire videtur. »

491. *Regula 28. De regulis cancellariæ producendis, non procedit in illis, quæ aliunde sunt notæ, saltem loquendo extra curiam romanam.* — Addit Chokier loc. cit. n. 20. post Alphonsum in *Glossemat.* cit. reg. n. 8. quod prædicta regula 28. « De Regulis Cancellariæ producendis » inscripta, non procedat in illis Cancellariæ regulis, quæ aliunde sunt notæ, et usitatæ, quæque vel per praticos, vel per codices regularum in urbe impressos comprobari possunt: saltem loquendo extra Curiam Romanam, seu in aliis tribunalibus Orbis. Nam dicta regula 28. seu « De Regulis Cancellariæ producendis » inscripta, loquitur expresse « de Auditoribus causarum palatii apostolici, et aliis in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate apostolica iudicibus, » uti patet ex textu. Simulque eadem regula pro sua ratione istam allegat: Quia « faciliter per eos, qui in Romana Curia indigerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest. » Hæc enim ratio cessat in tribunalibus extra Urbem existentibus, utpote in quibus non nisi difficulter, et majoribus cum sumptibus propter locorum distantiam, talis authentica productio regulæ haberi poterit. Et hinc placitum extat supremæ Curie Sabaudicæ, quo definitum fuit sufficere regulas Cancellariæ allegare, licet non proferantur sub plumbo: prout notat Chokier, ubi supra, post Ant. Fabium lib. IV. *Definit. forens.*, defin. 15.

492. *Utrum per clausulam generalem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, derogetur regulis cancellariæ? Et ratio dubitandi.* — Quæritur II. Utrum per clausulam generalem, « Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, » censeatur derogatum regulis Cancellariæ? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi, est: quia regulæ Cancellariæ appellantur *Ordinationes*, et *Constitutiones* apostolicæ, prout liquet ex earundem rubrica, et præmio: ergo pariter sub generali constitutionum, et ordinationum apostolicarum derogatione videntur venire. Verum his non obstantibus.

493. *Negativa sententia tenetur.* — Resp. I.

Sub clausula illa generali, « Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, » regularum Cancellariæ constitutiones non comprehenduntur; neque istis censetur derogatum, nisi de his specialiter mentio fiat. Ita Ludov. Gomez, seu Gomezius in præm. regular. Cancellar. quæst. 5. asserens, ita tenere stylum Cancellariæ, et Curie Romanæ, qui in hoc casu pro lege habetur, ipsique standum est, arg. c. *Quam gravi. 6. de Crimine falsi*, cum similibus. Atque pro hac sententia per eundem Gomezium allegatur Rota in una Zamorens. thesaurariæ, de mense novemb. 1533, coram R. D. Nicolao Aragonia: et in alia Romana, *Pecuniaria*, coram D. Joanne Paulo, decis. 20, novemb. 1536. In quibus domini de Rota voluerunt, per ejusmodi clausulam non fuisse derogatum regulæ Cancellariæ, « De exprimendo valore: » neque Regulæ 35. (nunc 37.) « De non appellando ante sententiam diffinitivam. »

494. *Estque de facto certa.* — Atque hæc sententia de facto est certa; et expresse decisiva per modernam, ac superius jam relatam regulam 71. Cancellariæ, « Quod regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus » inscriptam: quæ tamen primum addita fuit, neque reperitur inter regulas Cancellariæ Urbani VIII. (relatas tom. IV. *Bullarii Romani*, constitut. 7. dicti Pontificis) aut alias antiquiores. Accedit ratio: quia regulæ Cancellariæ continent clausulam derogatoriam voluntatis sequentis actus in contrarium; uti liquet ex earundem præmio, ibi: « Et suo tempore duraturas observari voluit: » et post Petrum de Ancharano in consil. 297. in princip. notat Gomezius loc. cit. Atqui stante tali clausula non sufficit generalis, sed requiritur specialis derogatio, arg. l. *Si quis in principio. ff. de Legat.* III. et notat Bartolus, ibid. circa init. Eo quod clausula derogatoria voluntatis sequentis actus, habeat vim cujusdam protestationis præambulæ: qualis protestatio declarat, in sequenti actu voluntatem deesse, nisi expresse, revocatio fiat, ut l. *At si quis. § Plerique. ff. de Religios. et sumpt. funer.* cum similibus, et amplius declarat Gomez, ubi supra.

495. *Qualiter juxta regulam 9 cancellariæ initium mensium sit computandum? Mensis, quot dies contineat?* — Quæritur III. Qualiter juxta regul. 9. Cancellar. initium mensium sit computandum; præsertim incidente va-

catione beneficii in noctem ultimam mensis? Resp. I. Juxta prædictam regulam Cancellariæ fit computatio mensium, prout isti collocantur, et jacent in vulgato calendario per totum annum; sive dein mensis habeat triginta dies, sive plures, aut pauciores. Ita Glossa in c. *Quam sit. §. Mensem. de Election.* in 6. Responsus in concordatis Franciæ, tit. *de Collationibus. §. Præfatique. §. Sequenti- bus mensibus;* Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. gloss. 11. n. 7. citans alios. Nec immerito: quia licet alioquin, cum absolute fit mentio mensis, intelligatur triginta spatium dierum, l. ult. §. *Sin autem aubius.* juncto §. *Simili modo. C. de Jure deliberand.* et l. *Si venditor.* juncta l. *Ædiles aiunt. ff. de Ædilit. edict.* Vel saltem, « ubi lex duorum mensium fecit mentionem, et qui sexagesimo et primo die venerit, audiendus sit, » juxta textum expressum in l. *Ubi lex. ff. de Reg. jur.* Nihilominus istæ computationes dierum mensis impræsentiarum locum habere nequent, eo quod Pontifex in memorata regula nona Cancellariæ sibi reservaverit beneficia vacantia nominatim in singulis januarii, februarii, aprilis, maii, etc. mensibus. Vel respectu episcoporum apud ecclesias suas personaliter residentium, beneficia vacantia in mensibus januarii, martii, maii, julii, septembris, et novembris: qui sex menses etiam in concordatis Germaniæ collationi Papæ reservantur.

496. *Mensis apostolicus v. g. januarii, incipit a media nocte primi diei, et terminatur in media nocte ultimi diei, etc.* — Itaque mensis apostolicus, v. g. januarii, incipit a media nocte primi diei hujus mensis, et terminatur in media nocte ultimi diei ejusdem mensis: sic enim primus dies memorati mensis januarii more Romano incipit, ac desinit ultimus, l. *More Romano ff. de Feriis,* et c. *Consultat. 24. de Offic. delegat.* Post mediam vero noctem ultimi diei dicti mensis incipit februarius, qui (quoad episcopos residentes, et concordata Germaniæ) est mensis ordinarii; ac proinde si beneficium primum incipit vacare post mediam noctem ultimi diei ejusdem mensis januarii, beneficiario, tunc primum defuncto, collatio ejus pertinebit ad collatorem ordinarium: si vero vacaverit ante mediam illam noctem, spectabit collatio ad Papam. Garcias, part. V. *de Beneficiis,* cap. 1. n. 523. citans Rotam in una Aversana parochialis. 12 martii 1562. coram Oradino; Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.,*

allegat. 57, n. 183; Gonzalez, ubi supra, n. 9. et seqq. citans alios; card. de Luca, discours. 15. *de Beneficiis,* n. 2. 3. et 4, asserens hoc esse receptum.

497. *Hora obitus prioris possessoris beneficii bene est notanda, quando vacatio beneficii incidit in ultimam noctem mensis.* — Unde in tali casu incidente vacatione beneficii in ultimam noctem mensis, bene notanda erit hora obitus prioris possessoris beneficii, testesque de ea, priusquam conferatur beneficium tunc vacans, exacte interrogandi: quam etiam horam consulte notarius in ipso instrumento desuper confecto annotabit, ut sic evitetur omnis controversia super tempore vacationis, an videlicet contigerit in mense apostolico, vel ordinario. Gonzalez cit. gloss. 11. n. 10. et 11; Garcias, part. V. *de Benefic. cap. 1. n. 523;* Barbosa cit. n. 183.

498. *Quid agendum, quando obitus beneficiarii contigit circa ipsam mediam noctem ultimi diei mensis?* — Resp. II. In casu obitus beneficiarii circa ipsam mediam noctem ultimi diei mensis, et ad dignoscendum, an is acciderit in mense pontificio, vel ordinario, imprimis attendere oportebit ad pulsus horologii, cæteroquin, justis, si extet in loco: nam, ubi cœperit sonare horam duodecimam noctis, etiam ante finitos pulsus illius horæ, censetur media nox expleta; Garcias, cit. part. V. cap. 1, n. 524; Castro Palao, tract. XIII. *de Beneficiis,* disput. 2, punct. 22, § 2, n. 1, et alii. Quod si in loco adsint plura horologia, standum erit horologio principali, veluti minus suspecto; aut si plura non suspecta, pulsui plurium horologiorum concordantium; card. de Luca *de Beneficiis,* discours. 15. n. 1. et 7. ac seqq. talem casum refert; Castro Palao, loc. cit. § 2. n. 1, argumento desumpto a testibus, quibus numero pluribus dignioribus, et magis verisimilia deponentibus, standum est, c. *In nostra. 32. de Testib.* junctis concordantiis per Glossam fin. ibid. allegatis. Quamvis nonnulli apud Garciam loc. cit. n. 525. arbitrentur, in hujusmodi casu standum esse horologio cæteroquin non suspecto, quod propitium est favori causæ piæ.

499. Resp. III. Quod si in loco non fuerit horologium, aut probetur non fuisse bene ordinatum, vel saltem non sit auditum, tunc media nox dimetienda erit juxta prudens judicium hominum, præsertim habentium experientiam, et cognitionem circa hoc. Ita Garcias, d. part. V. cap. 1, n. 526; Gonzalez,

cit. Gloss. 11, n. 16, 17. et seqq. ubi longius examinat quæstionem illam, utrum ex gallicinio recte probetur, mediam noctem esse elapsam (prout tenuit Rota in una Aversana parochialis, 12 martii 1562. coram Oradino) necne; cum galli etiam ingrediente, ipsaque media nocte, serius aut citius, pro diversitate regionum, ac temporis, cantare audiantur, etsi a media nocte in diem vergente frequentius cantare soleant: et tandem n. 25. arbitrio judicis relinquendum censet, quantum huic gallicinio, pensatis circumstantiis, ac testium rationibus, aliisque verisimilitudinibus deferendum sit: prout in simili habetur l. 3. §. *Tu magis. ff. de Testib., etc. In præsentia. 6. de Renuntiat.*

500. *Si omnibus frustra tentatis non appareat, an beneficiarius obierit in mense pontificio, vel ordinario, tunc nemine in possessione beneficii existente, præsumendum est pro favore collatoris ordinarii.* — Resp. IV. Quando istis omnibus frustra tentatis (seu quia beneficiarius ultima nocte mensis obiit in sperato: ac nemine præsentem) dubium adhuc remanet, utrum ante, vel post mediam noctem illius ultimi diei mensis, sicque in mense pontificio, vel ordinario obierit: tunc nemine adhuc in possessione beneficii existente pro mense episcopali, atque pro favore collatoris ordinarii præsumendum videtur. Ita Garcias, loc. cit. n. 528; Castro Palao d. tract. XIII, punct. 22, § 2, n. 3; Engel, h. t., n. 26. eod. n. 354. Ratio est, quia episcopus habet intentionem fundatam in jure, quod collatio omnium beneficiorum suæ diœcesis ad ipsum spectet, c. *Ex frequentibus. 3. de Institutionib.* cum concordantiis; nisi probentur spectare ad collationem alterius, puta, quia probantur esse reservata: atqui stante illo dubio, non constat de reservatione. Tam quia reservatio, veluti præjudicans ordinariæ collationi, et jurisdictioni, est odiosa; sicque restringenda, juxta dicta n. 388. et 389.

501. *Respondetur ad jure in contrarium allegata.* — Nec obstat textus in c. *Si a Sede 31, h. t. in 6.* ubi in dubio, an Papa, vel collator ordinarius prius contulerit idem beneficium, quod uterque eodem die, sed diversis personis contulit, dicitur præferenda collatio Papæ; idque « propter conferentis ampliolem prærogativam. » Cui simile quid habetur in Clem. 1. §. *Neutro. Ut lite pendente,* etc. Resp. enim, isthæc jura loqui in diverso casu, videlicet quando Papa jure ordinario (seu quatenus habet concurrentem

cum quolibet inferiori ordinario potestatem conferendi quilibet beneficia) concurrat in collatione beneficii cum inferiori, ac dubitatur, quis eorum prius contulerit. Tunc enim, quia constat de potestate ordinaria Papæ sic conferendi, ac remanet antaxat dubium facti, seu quis prius contulerit beneficium vacans: nullo adhuc in possessione istius existente, merito præferenda dicitur collatio Papæ propter suam ampliolem prærogativam, cum sit ordinarius ordinariorum. At vero in præsentem casu sermo est de collatione Papæ facta, vel facienda duntaxat jure reservationis, quam revera hic intervenire dubitatur: unde stante tali dubio, ac nisi probetur veritas reservationis, Papa non intendit beneficium vacans conferre; sed collator inferior remanet in possessione juris conferendi; cum respectu hujus habeat intentionem fundatam in jure communi. Garcias, ubi supra, n. 533; Castro Palao, d. § 2, n. 3 et 6.

502. *Istud a fortiori procedit, quando collator ordinarius jam contulit beneficium vacans hujusque possessionem provisus acquisivit.* — Additur tamen in data n. 500. conclusione, « nemine adhuc in possessione beneficii existente. Nam imprimis, si in casu prædicti dubii collator ordinarius, per fundamenta proxime relata, jam contulit cuiquam beneficium taliter vacans, atque provisus possessionem illius acquisivit; tunc a fortiori procedit eadem conclusio, juxta vulgatum illud: « In dubio melior est conditio possidentis, » c. *In pari. 65. de Reg. jur. in 6.* cum concordantiis.

503. *Si Papa prius contulit beneficium, et provisus in hujus possessionem inductus fuit, collatore ordinario postea primum id præstante, variantes doctores, cui beneficium sit adjudicandum. Prima sententia stat pro possessore, et contra actorem.* — Quod si vero Papa prius contulit ejusmodi beneficium, ac provisus in hujus possessionem jam inductus fuit, collatore ordinario postea primum id præstante; magna inter doctores controversia existit, cui provisorum mota desuper lite beneficium sit adjudicandum, atque is in sua possessione manutenendus? Et quidem prima sententia asserit, in tali casu possessorem semper victurum, et actorem succubiturum, sive is fuerit provisus a Papa, sive ab ordinario. Ratio hujus sententiæ est, quia in dubio melior est conditio possidentis, juxta reg. 65. jur. in 6. Simulque actore non probante reus est ab-

solvendus, etiamsi nihil præstiterit, c. *Cum Ecclesia*. § fin. de *Causa possess.* et l. *Qui accusare. c. de Edend.* cum similibus. Atqui in casu posito, et juxta hypothesin, nequit probari quacunq̄ue adhibita diligentia, quod obitus beneficiarii acciderit in mense apostolico, vel ordinario: ergo. Ita Gonzalez cit. gloss. 11, n. 27, 28 et seqq. citans Puteum, decis. 207 et 266. et lib. III. et alios.

504. *Altera stat pro collatione papali.* — Altera sententia tenet, in tali casu prævalituram collationem Papæ, quando is prius cuipiam contulit beneficium, atque provisos ejus possessionem prior acquisivit; vel saltem non constat, provisum ab ordinario antea illius possessionem obtinuisse: per textum in c. *Si a Sede*. 31, h. t. in 6, junctis dictis supra n. 501.

505. *Et tertia, cæterisque probabilior, pro collatione ordinarii.* — Tertia tandem sententia, et cæteris probabilior, docet, stante tali dubio, et post diligentem inquisitionem non resolubili, collationem ordinarii, atque possessionem beneficii virtute istius obtentam, fore validam, atque manutenendam, etiamsi sequatur primum collationem Papæ, possessionemque inde acquisitam. Garcias, d. part. V, cap. 1, n. 530 et 532; Castro Palao, cit. § 2, n. 3; Pirbing, h. t., n. 354, vers. *Notandum secundo.* Ratio hujus sententiæ est, quia stante tali dubio, præsumptio juris stat pro collatione ordinarii, juxta dicta n. 500. ergo, donec provisos per Papam probet reservationem (qualis tamen probatio, juxta hypothesin, in dato casu fieri nequit) standum erit collationi ordinarii. Confirmatur, quia in dicto casu Papa non intendit conferre beneficium, nisi jure reservationis duntaxat; ergo ista non subsistente, vel saltem non apparente, corrumpit ipsamet collatio. Patria enim sunt, non esse, et non apparere, l. *Duo sunt Titii. ff. de Testamentar. tutel.* Barbosa, Axiomat. 174, n. 9. et alii.

506. *Solvuntur rationes aliarum sententiarum.* — Nec urget rationes aliarum sententiarum. Non prima, seu n. 503 adducta. Nam imprimis regula 1^a, « In pari causa, » etc., fallit, quando pro actore stat præsumptio contra possessorem, illeque intentionem suam habet in jure communi fundatam; ut dictum supra lib. II, tit. XII. de *Causa possessionis*, etc. § 2. n. 41. et 42. Deinde etiam altera regula, actore non probante reus absolvitur, » fallit, seu limitatur in casu, quo pro actore stat præsumptio juris: ut cap. II.

de *Restitution. spoliat.* in 6. estque pariter jam dictum supra lib. II. tit. XIX, de *Probationibus*. § 5. n. 126. et 127. Atqui in casu posito stat præsumptio juris pro collatore ordinario, ejusque collatione, ut proxime dictum; ergo. Porro ad c. *Si a Sede*. h. t., in 6. patet responsio ex dictis n. 501.

507. Neque provisio de beneficio per Papam, in tali casu suffragatur acquisita illius professio, tum quia præsumptio juris stat contra possessorem a Papa provisum, ut proxime dictum; tum quia collatio beneficii per Papam facta, et tradita ejusdem possessio, fundatur in reservatione illius: unde hæc non existente, vel saltem non apparente, sicque precibus veritate non nitentibus, corrumpit justus titulus possidendi: ac proinde non mirum, quod in casu memorati dubii, provisos per ordinarium præferri debeat, ob assistentiam videlicet juris communis. Et si quis objicere velit appositionem manus pontificiæ: patet ex dictis supra n. 423. appositionem manus Papæ nihil operari, quando narratur beneficium esse reservatum: quod non est reservatum; seu (quod idem est) non apparet esse reservatum.

508. *Beneficium vacans in mense ordinarii an possit conferri durante illius vacatura in mense pontificio? Et ratio dubitandi.* — Quæritur IV. Utrum beneficium vacans in mense ordinarii, possit per hanc conferri stante illius vacatura in mense pontificio? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, est quia Pontifex beneficia in mensibus apostolicis, « quocumque modo vacatura » (ut loquitur regula nona cancellariæ) suæ dispositioni reservat: atqui beneficium nondum collatum, aliquo modo vacat in mense apostolico: ergo. Verum hoc non obstante.

509. *Affirmativa sententia probatur.* — Resp. breviter episcopus, vel alius collator inferior, non amittit jus conferendi beneficium in suo mense vacans, etiamsi, istud mense non contulerit, et sic vacatio ejus duraverit in mensem apostolicum: neque prohibetur idem collator inferior, ejusmodi beneficium conferre currente ipsomet mense apostolico. Ita Gonzalez ad reg. 8. Cancellar., Glossa. 11. a n. 47 usque ad n. 78, fusiùs hanc quæstionem examinans; Garcias, part. V. de *Benefic.* cap. I. n. 537, asserens ita sine dubio tenendum esse; Engel., h. t., n. 26, vers. *Illud quoque.* et alii.

510. *Ad inducendam reservationem beneficii, attenditur solum initium vacationis; non vero*

tempus, quo duravit — Ratio est, quia ad inducendam, vel non inducendam reservationem beneficii, attenditur solummodo initium vacationis; non autem tempus, quo duravit, atque continuata fuit vacatio beneficii: juxta Rotam, decis. 774, num. 3 et 10, lib. III, part. III. *Divers.* quam refert Gonzalez loc. cit. n. 66. sicque cessat ratio dubitandi. Et hæc fuisse mentem, atque intentionem Papæ ex eo desumitur, quia Pontifex concedit collatoribus ordinariis, puta episcopis, quatuor vel sex menses, quatenus beneficia extra Curiam in eisdem vacatura libere conferre valeant: atqui libere non possent conferre, si arctarentur ea conferre primo mense vacationis. Quinimo talis facultas conferendi foret propemodum inutilis; præsertim quando ultima die, vel hora mensis, per obitum prioris possessoris inciperet vacatura beneficii. Accedit, quod collator inferior habeat sex menses ad conferendum, c. *Nulla*. 2. de *Concession. præbend.* cum concordantiis: atqui hoc non subsisteret, si beneficium in mense ordinario vacans, amplius conferri non posset in mense apostolico sequente; ergo. Tacentur similia: nam res caret difficultate; adeo, ut Gonzalez, loc. cit. n. 77, subjunxerit se nunquam vidisse in Rota, nec audivisse disputari de simili casu, licet quotidie contingat.

511. *Intrusus in beneficio, qui censeatur? De intrusis in beneficio, quæ regulæ cancellariæ tractent?* — Quæritur V. Quis censeatur « Intrusus in beneficio, qualesque sint affectus intrusionis? » Ubi recolendum ex dictis quod in regulis Cancellariæ bene vice fiat mentio de intrusis. Primo, in reg. 29. de *subrogandis collitigantibus*, inscripta, illis verbis: « Dummodo Prædictus collitigans in dicto beneficio intrusus non fuerit. » Secundo, in reg. 36. *Triennali*, inscripta, ibi: « Dummodo in beneficiis hujusmodi, si dispositioni apostolicæ ex reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, si non intruserint, » etc. Quo prænotato.

512. *Intrusus in beneficio, potest quis dici variis modis.* — Resp. II. Intrusus in beneficio, de jure communi, potest quis dici variis modis: adeo, ut Fagnanus c. *Nisi cum pridem*. num. 27 et seqq. de *Renunciat.* citans alios, quatuor intrusorum species distinguat: et Ludov. Gomezius in reg. *Triennali possessore*, quæst. 41. post Geminianum in can. *Propter*. dist. 19. asserat, quod intrusus in jure capiatur quinque modis. Alii vero, ut

Felinus c. *In nostra*. n. 10. de *Rescript.* et c. *Veniens notab.* 2. de *Accusation.* Joannes de *Salva Tractatum*, tom. XV. de *Benefic.*, part. III. q. 11. n. 10. et 11. Rebuffus in *Praxi benefic.* tit. *Regula, de Subrogand. collitigand.* gloss. 4. n. 4. usque ad n. 22. et Azorius part. II. l. VII. cap. XXXV. quæst. 10. octo modos intrusorum enumerant.

583. *Generatim loquendo intrusus in beneficio dicitur, qui obtinet beneficium ecclesiasticum sine auctoritate illius, ad quem de jure spectat collatio. Et talis potest excommunicari.*

— Resp. II. Generatim loquendo, intrusus in beneficio dicitur ille, qui obtinet beneficium ecclesiasticum sine auctoritate illius, ad quem de jure spectat collatio. Ita Abbas. *Quia diversatem*, n. 2. de *Concession. præbend.* Gomez, Rebuffus, alique qui supra. Sive, intrusus proprie dicitur, qui præter auctoritatem superioris, ad quem pertinet collatio, beneficium est ingressus. Fagnanus c. *Quia diversatem*, in 6. et Barbosa n. 4. de *Concession. præbend.* juncto textu ibidem: « Præter hujus auctoritatem intruserunt: » estque in re communis. Atque talis appellatur *Intrusus*: quia non intravit per ostium, sed aliunde ascendit, et quasi violenter in beneficium se injecit; sive per alios non habentes potestatem ad id injectus, sicque intrusus fuit. Unde indignus est, pastoris nomine vel prærogativa gaudere, c. *Relatum est*. 21. *Jure patronat.* cum concordantiis in progressu allegandis: potestque excommunicationis sententia ferri, c. *Ex frequentibus*. 3. de *Institut.*

514. *Sive beneficio sese ingerat propria auctoritate.* — Porro talis injectio, seu intrusio in beneficium sine auctoritate habentis legitimam potestatem conferendi, potest variis modis contingere; hincque non mirum, quod diversos Intrusionis modo doctores distinxerint. Sic imprimis censentur intrusi, qui propria auctoritate sese ingerunt beneficio ecclesiastico: ut est textus notabilis in c. *Ad aures*. 3. de *Excessib. prælat.* ibi: « Ad aures nostras pervenit, quod quidam archidiaconi tui in ecclesias, quæ in suis archidiaconatibus vacant, auctoritate propria intrudere non verentur. » Concordat c. *Quia diversatem*. 3. de *Concession. præbend.* ubi coram Papa conquirebatur archiepiscopus quidam, « quod tempore suspensionis ipsius, et postmodum etiam quidam præter ejus auctoritatem se intruserunt in ipsas Ecclesias, » in quibus collatio ad ipsum pertinebat. Unde Papa